

corporum descendit, quod ita se habet, corpora fluida gravia,  
leviora sursum pellunt. Quippe, cum corpora gravia,  
nisi naturali deorsum tendentia, infimum semper locum  
occupent, non possunt non ex loco isto infimo corpora le-  
via sursum propellere, sic igitur ꝑ cum sit corpus grave ma-  
ximè, imò è gravissimorum censu liquor, descendendo a-  
quam ex suo loco sursum pellit; accedit pressura aëris ambi-  
entis, quæ facit, ut aqua intra tubum ascendat. An pari-  
ter, qui pro causa descensionis aquæ fugam vacui afferunt,  
rem demonstrare queant, ipsi videant, nos credimus, si na-  
tura à vacuo abhorreret, mercurium intra tubum necessa-  
rio mansurum, & ultra prædictum terminum ascensurum es-  
se, ne suprema Baroscopii pars relinqueretur vacua.

§. V. Alia tria Phænomena præcedenti consimilia,  
adducit *Dn. Job. Christ. Sturm* in *Colleg. Curios. Part. II. Tent.*  
*3. p. m. 39.* Primùm loco aquæ lac adhibuit, huic repletum  
argento vivo tubum, decenter inversum immisit, remoto-  
que digito, delapsus est mercurius, ut antea aqua, sed mul-  
to segnius, & morâ temporis interjectâ longè majore, dum  
lac & mercurius sibi difficiliter, nec sine spumosa sui miscel-  
lâ sibi cedebant. Deinde *Loco mercurii lac* adhibuit, & tu-  
bulum lacte plenum in aquam demisit, vix tubi labra, in-  
q̄vit, superficiem stagnantis aquæ attigerant, cum ecce  
lac confestim instar candicantis nubeculæ in aquam descen-  
deret, & interjectâ aliquâ temporis morâ aliquid aquæ ad  
summitatem usque tubuli sublatum, in lactis loco cernere-  
tur. Tertio fecit periculum *vino*, deprehenditque, elapso  
temporis intervallo notabili, vinum maximam partem in  
aquæ locum ascendisse.

§. VI. Horum Phænomenorum causa iterum nulla  
alia est, quam diversa liquorum gravitas, ꝑ namque cum  
gravior sit lacte, illud transit, ac sursum propellit, lac ite-  
rum